# DISPUTATIO MEDICA

## INAUGURALIS

DE

# FEBRE REMITTENTE.

AUCTORE ALEXANDRO BAXTER.

Febrem illam, in omnibus maris Mediterranei insulis, Italiaeque oris, inter tempestatem fervidam aestatis, atque autumni communem hospitem, hic considerare propositum est. Febrem Remittentem vulgo audit, quae appellatio morbi ingenio haud malè convenit, quoniam ei Apyrexia absoluta nunquam accidere videtur, remissione tantum seu levamine quadam malorum sub matutinas horas accidente. Gravia nuper et diuturna bella Medicis militaribus haud mediocrem occasionem praebue-





runt experientiâ fruendi, et hanc febrem sub varias suas formas observandi, in diversis terrarum regionibus; atque nullius morbi quàm hujus curatio feliciorem mutationem subiit. Haec febris, uti diximus, sub variis nominibus omni tempore per aestatem et autumnum plus minus regnavit, in maris Mediterranei insulis, in Italia, in Graecia. Galenus originem solis ardoribus intensis paludum effluviis attribuit. Syracusis, auctor est Diodorus Siculus, exercitus tam Romanorum quam Carthaginiensium extincti sunt, morbo a caloribus insolitis, paludumque vaporibus, causis scilicet adhuc manifestè febrem perniciosam ibi excitantibus, oriundo. Anno salutis nostrae 1808, milites Britannici ibi hospitati, febre remittente graviter affecti sunt, paludibus prope urbem magnis existentibus, ac per aestatem vapores foetidos oppidanis quidem noxios exhalantibus. Eadem febris classes exercitusque nostros, ibi loci versatos, semper vastavit, medicosque simul celeritate, violentiâ, pernicieque suâ consternavit; sed con-

stantia et felicitas curationis recentis, eam terroribus suis magna ex parte spoliavit. Cullenus cui cordi erat Intermittentes a Continuis Febribus discriminare, Remittentes cum prioribus conjunxit, " *causis, sanatione, typo*, *simillimas," esse confirmans. Nemo tamen utcunque perspicax, febrem remittentem ab ejus definitione recognoscere potest, et quàm inutiles sunt ejusmodi definitiones aliis dicendum relinquo.

## MORBI HISTORIA.

Etiamsi Febris Remittens locos inter tropicos specialiter devastat, saepe tamen eas Europae plagas occupat, quae per certos anni menses calori non tropico minori, saepius quidem majori, subjiciuntur, id quod apud Melitam anno 1800 obsidione pressam facilè ostensum est. Legio trigesima quinta, a Bri-

---

* Nos. Method. 204. † Ibidem.

tannia recens advecta, quinginta suorum ad stationem ante urbem premisit; e quibus 120 milites, duo praefecti, hoc morbo inter sex hebdomadas extincti sunt. Quae Indiae occidentalis febris fatalior? Omnium 500, nullus non affectus est, et qui convaluerant, intermittentibus obnoxii manebant, et paucissimi postea ad integram valetudinem redierunt. Hoc tempore (mensibus Augusto, Septembre) thermometrum 96° F. frequenter indicavit; dirus Scirocco saepissimè flabat.

Tertiana intermittens, quum paroxysmus in die duplicatur, triplicatur, vel etiam, ut auctores* volunt, quadruplicatur, ad indolem remittentem proximè accedit, proque eodem morbo habeatur et curetur; atque verisimile est tertianas duplas Cleghornii, quadruplas Tulpii,† Hemitritaeum Celsi, non alium esse morbum. Adeo frequens olim† Romae erat, ut epidemicus diceretur, atque hodie quoque

* Tulp. Obs. Med.

† Baglivi Op. omn. p. 57.

Paludes Pontinae feracem febris remittentis fontem praestant. Viatores raptim eas "Malariam" diram metuens transcurrunt; nec tamen semper impunè evadunt.* Deserti istius incolae, vultu etiam aëris malignitatem testantur; pallidi sunt, ventre tumente, cruribus aquâ turgentibus.

Sol, notissimum est, in loca paludosa, vel stagna corrupta agens, miasma hunc morbum generaturum evolvit. Sed neque talibus locis solis cohibetur febris ista, quoniam perniciosissima saepe existat Minorcae, Melitae, saxosis aridisque Siciliae oris, inter Messanam atque Taorminam, ubi paludes paucae aut nullae videntur. Milites juvenes robusti, de plaga frigidiore recens advecti, itineribus longis fatigantibus, exercitatione in sole vehementi, aëri nocturno, humi madidi jacere necessariò obnoxii, ii sunt huic morbo maximè proclives. Equitatus, pallio longo nocte, obtectus interdiu equis provectus, semper minus

---

* Lancisi De Nox. Pal. eff. p. 80.

quam peditatus exercitus aegrotat. Quod quidem morbus siccis videatur locis testis est clarissimus eques J. Pringle, cujus verba sunt: "Though in the marshy parts of Flanders and Holland, the summer and autumnal distempers are frequent and violent, yet there are few countries, however dry, that are totally exempted from them;" Iterum, "hence, even in the driest camps, after great and continued heats, those summer and autumnal fevers and fluxes are more or less common." Saepius notavi, quod cum febris remittens se ostendit multâ violentiâ, tum dysenteria gravis, nec rarò cholera inter milites saeviret; atque saepe mihi occurrit aliquid in causis horum morborum valdè consimile existere oportere.

## SIGNA.

Primus plerumque impetus subito fit. Milites arma gerentes vertigine aut debili-

tate aliquando etiam syncope victi cadunt. Nausea atque vomitus biliosus subinde occurrunt sub initio ; virium magna prostratio, capitis quasi ligamine pressi dolor intensus, oculorum rubor, vultus suffusio, carotidum et temporalium arteriarum manifesta pulsatio. Pulsus ad carpum plenus, fortis, vel rapidus, perplexus, quasi tumultuosus. Principio aliquando adsunt algores, horroresque ex intervallis recurrentes, quibus calores urgentes sitisque superveniunt; lassitudo, dolorque articulos, dorsum, lumbos occupant. Lingua quandoque fusca, arida, saepe vero albida, tenax, humida. Dolor ventriculi pressione auctus ; urina parca nonnunquam vix uti apparet, secreta. Cutis arida, dura ; alvus adstricta, torpens admodum, purgantia vehementia postulans. Spiritus acceleratus, abnormis, aliquando oppressus, laboriosus. Haec signa, postquam totam diem noctemque, aliquando etiam ad tertiam diem continuaverint, paulatim versus manè decedunt. Capitis dolor mitigatur, oculus clarior, splen-

didior, animantior videtur, sitis calorque leniuntur. Omnia nunc remissionem indicant, quae ad vesperum usque perstat, quando alia et gravior supervenit accessio, sed horroribus algoribusque penè vacua. Capitis dolor nunc redit violentiâ auctâ, atque oculo praeter ruborem, turbida quaedam hebesque species superadditur. Vultus turgidus, colore propemodum livido suffusus, mens confusa, hebetior, non tamen delirat. Versus mane iterum dolorum remissio fit, sed haec minus perspicuè notata est. Post aliquot dies haec excitatio iterum decedit, aliquando rapidè: calor decrescit extremis, medio corpori continuatur. Ventriculus supra modum irritabilis. Sanguinis de variis partibus, praecipuè naribus crebrae sudationes, pulsûs cutisque calor imminuuntur, singultus comaque succedunt, atque dentes labiaque sordibus nigris obteguntur. Extrema frigent, corpus sudore gelido madet. Motus abnormes convulsivi adveniunt, morte finiti. Mortuorum corpora fere flavent. Morbi terminatio in mortem aut

valetudinem non fit diebus ut vocantur criticis, atque ejus duratio erit pro portione curationis maturae. Lumbrici huic morbo familiares sunt, modo per anum, modo per oesophagum excreti. Post mortem, intestina iis pene repleta interdum reperiuntur, sed ad prognosin* pertinere haud annotavi.

## CAUSAE.

Praesentia hujus febris cum anni tempestate, caloribus † connectitur, atque quando solito frequentior graviorque adest, *epidemica* dicitur. Liquet hunc morbum non solum gigni effluviis putridis locorum paludosorum, sed etiam in sedibus siccissimis. Verisimilè igitur est causam ejus per totam orbem diffusam existere, nihil nisi auctam aëris calorem ut in actum evocetur, requirentem, cui quidem caloris modò corporis, modò aëris varia-

* Vide Cels. lib. ii. cap. 3. † Bagl. 157, 158.

tiones hominum, uti mihi videtur, proclivem dant. Hinc iis regionibus quibus intermittentes dominantur quo calidior,* humidiorve tempestas fit eo magis continuae evadunt febres, duplicatio protractioque paroxysmorum fit, donec tandem formam remittentem etiam continuam induant. Regionibus calidis igitur remittentes periculosissimae grassantur, atque in Arcto propioribus remittentium et intermittentium formae leniores regnant. Quando quidem aër miasmate noxio oneratur, atque milites noctu humi et madidi jacentes potentiae ejus objiciuntur post fatigationem interdiu, sub sole ardente, periculum est ne hoc morbo violento afficiantur. Actio quidem miasmatis in corpus solet esse subita, vertiginem, syncopen, vomitum, confestim inferens. Interdum verò actionem arteriarum adeo potenter compescit, ut sanguinis missionem prohibere videatur, aegro nunquam primum impetum mali superante. Pau-

* Dr F. Home, Med. Facts and Exp. p. 46.

eos quidem haec ratione correptos vidi, quibus pulsus parvus, debilis, depressus, cum nausea aut perpetuo vomitu bilioso, syncope, intra quatriduum ferè morte terminatis.

Quomodo haec morbi causa corpus intret, vel qua ratione operitur, ut febrem modò intermittentem, modò remittentem gignit, dictu difficile est. Varietates plurimas morbus subit, ex corporis habitu, causae vehementiâ, et aëris conditione aliquâ; quae res multas et diversas opiniones multa scripta evocavit, his contagio exorire illis origine proprio nec quidquam contagio commune habente dicentibus. Quaestio tam sensu medico quam politico, momentosa est; atque nuperrime Calpe maximis privationibus, contagionis terroribus laboravit, ob hanc difficultatem non enodatam.

Morbum qualem per Mediterraneum, in Europae peninsulâ, India occidentali, America vidi, contagiosum non puto, et haec sententia pene universa est eorum qui eo experientissimi sunt; sententiâ quidem eo confirmatâ quod famuli valetudinariorum, medici-

que nunquam inficiantur ab aegris; quod morbus non sanis impertiatur ab aegris de valetudinariis ad loca remotiora relegatis.

## DIAGNOSIS.

Notae hujus morbi pathognomonicae sunt, subitus adortus, Diathesis Phlogistica, actio arteriosa vehemens. Cum morbis igitur qui non has maximo gradu possident notas aegrè confundi potest. A phrenitide per virium prostrationem quas phrenitici auctas habere solent distinguatur; per vultus ferociam, oculi motum rapidiorem phrenitidis absentis, oculis contra turbidis, hebetibus, languidis, vultu dejecto, collapso in febre existentibus. A synochâ remissio matutina manifestior distinguit, etiamsi quod ad curationem sub initio spectat parum utilis est diagnosis.

A peste, epidemico tum dominante considerato, facile divides, necnon, ab anni tempestate, orbis parte quâ degitur, bubonibus,

petechiis, contagione absentibus. A typho per subitum aggressum, juvenum robustorum, plenorum delictum, per adventum in tempestate calidâ, quâ typhus raro occurrit, per celeritatem qua cursum absolvit, per remissiones evidentes,* per terminationem haud raram in febrem intermittentem per nullam ipsius contagionem.

## PROGNOSIS.

Antequam libera sanguinis missio in usum venerat, ad hanc febrem curandam perniciosissimus atque pertinacissimus fuit morbus, atque prognosis plerumque infaustissima fuit. Nunc autem, si morbus ab initio medico subjectus fuerit, atque aeger feliciter matura satis curatione usus fuerit, sanguinis missionem, atque purgationem libere passus fuerit, periculum metuendum haud magnum erit, at-

* Vide Nos. Meth. Cull. ad Feb. Contin.

que fausta morbi terminatio plerumque expectetur.

Quoniam saepe inter primam, aut fortassè inter secundam remissionem fallax integritatis species ludere soleat, aegrumque falsa securitate decipiat, hoc maximè tempore a fausta prognosi abstinendum erit. Proxima enim accessio priore gravior esse potest, cum brevibus incertis remissionibus. Signa insequentia terminationem faustam indicant. Nullus visceris alicujus dolor acutus, doloris capitis diminutio, oculi suffusi, pulsationes carotidum, dolorisque epigastrii cessatio, longa cum somno remissio, appetitus reditus aliquis, vultus serenus, hilaris, cutis mollis, sentiens, perspiratio fluida, copiosa, universa, eruptio circa labia vel aures ante diem sextam vel septimam, urina copiosa naturalis, vel sedimentum albidum aut turbidum deponens, situs in lecto supinus, cruribus reductis.

Quando omnia haec apparent, salutem tuto promittes. Contrà, periculum portenditur

remissione brevi obscurâ, actione vasorum magnâ cum delirio, comate, oculo turbido collapso, vultu anxio, praecordiorum calore, nausea, vomitu. Durities quoque et tumor epigastrii ac hypochondrii, cum dolore ex tactu; urina fusca, parca, sanguis de naribus fluens, pulsus decrementum, subsultus tendinum, convulsiunculae idem suggerunt. Mali quoque morbi est aegrum deorsum in lecto labi, odore cadaveris quasi exhalantem ut de partibus exulceratis. Muscae circa os volitantes, nec aegro observatae, urinae, stercorumque descensus non voluntarius.

## CURATIO.

Ex hisce jam dictis signis manifestum est, actionem arteriarum vehementem subsistere, quae quidem ne cito tollatur, structuram muneraque cerebri et vitam demum ipsam brevi evertet. Quod sanguinis caput versus impetus sit vehemens atque perniciosus, ocu-

lis suffusis, carotidum pulsatione demonstratur. Attentionem igitur nostram his pestiferis signis tribui quàm primùm necesse erit; atque sanguinis missio sine mora adhibeatur opus est. Sub morbi initio omnium potentissimum est remedium, atque effectus ejus in hac excitatione mitigandâ eo majores sunt, quo celerius absolvitur detractio.

Aegro robusto, juveni, pleno, sanguis ad xxx uncias mitti debet e cubito, atque si haec etiam missio nihil levaret, ultra fluere permittas donec anima deficiat, aut mala sublevantur. Si animae defectio sit, cutem laxat atque vomitus, alvique dejectiones occurrere solent. Capitis dolor molestus, lucis intolerantia, carotidum pulsatio nunc decessisse invenientur, atque liberalissima facilitas omnium actionum corporis percipitur, nec raro somnus obrepit. Multi sanguinem de arteria temporali detrahi suadent: sed ubi multum hujus laticis vitalis quam celerrime abstrahere consilium est, vena in principio arteriae anteponenda est. Arteria temporalis in tempore

morbi posteriore, perstante adhuc sanguinis ad caput affluxu, commodissimè aperiatur. Quandoquidem syncope ante accedere prona est, quàm copia necessaria fuerit detracta; nec quidquam hic (ut in pneumonia imaginatur) prodesse invenitur; situ aegri supino devitari debet. Secundo morbi die, si capitis, aut ventriculi dolor, aut pulsus plenitudo vel duritia, calor, cutisque constrictio perduret, vena iterum tundatur, sanguine, donec syncope superveniat, fluituro.

Quantitas effectibus potius in morbum, quàm unciis jam vase collectis, definienda est. Saepe hoc modo, magna vi sanguinis, stimulantis de vasis abstractâ, actio febrilis penitus suspenditur, et remissio, vel intermissio imperfecta supervenit, atque aeger nunc periculo vacuus habeatur. Si tamen haec tam fausta mutatio non accideret, atque febris accessus constanter recurrere perstarent, et cum multa actione vasculorum, plus sanguinis adhuc mittendum erit, atque si caput, atque mentis facultates perturbatae

sunt, ab arteria temporali nunc commodissimè auferri poterit, quoniam utilitates missionis generalis atque specialis, in hoc opere conjungi videntur. Celsi praeceptum etiam in sensu latissimo ejus, nos nunc derigere debet. "Interest enim, non quae aetas sit, neque quid in corpore intus geratur, sed quae vires sint."

Rapidissimus hujus morbi cursus non brevissimas etiam evacuandi moras sinere potest; nam, si tempus huic rei idoneum praeterire semel permittas, in perpetuum, nec unquam revocandum, amittitur. Post primam seu inflammatioriam morbi partem transgressam, hoc remedium non minus perniciosum fit quam antea salutare, atque raro post septimam diem, aut post cutem flavedo occupaverit, utiliter adhiberi potest, nisi febris typum lenissimum agnoscat. Usus venae sectionis, atque is liberrimus, antiquis medicis admodum familiaris fuit. Inter recentes, clarissimus eques Johannes Pringle, de febris remit-

tentis curatione agens, haec verba fecit: "I found it necessary to begin with opening a vein, and to repeat the bleeding, according to the urgency of the symptoms;" Iterum: "I have repeated experience of the safety of bleeding in the hot fit, and not only in this, but in the March fever, even after it had come to regular intermissions." Etiamsi pauca hujus febris occurrent exempla quae non sanguinem mitti desiderabant, non tamen quasi *panaceam* hic proponere gestio, nec etiam semper prodesse dicerem. Maturè adhibita, utilitas conspicua est, omnibusque qui viderint morbum ita curatum recognita. Sed nimis serò, vel nimis crebrò celebratum hoc nobile auxilium, mortem accelerabit, aut morbum producet. Medici quidem, donec nuperum quidem tempus neglectum potentissimi auxilii in febribus, quam infelicem eventum ejus multò saepius lugere coacti sunt. Aliquando tamen exempla videntur, ubi, meâ saltem sententiâ, sanguinis missio

non admitti posset. Siquando, verbi causâ, pulsus imbecillus aut depressus esset, aut ad syncopen proclivitas, cum vomitu bilioso choleram simulante ; atque ubi cutis non multum supra calorem naturalem teperet ; talibus licet raris exemplis, tamen identidem occurrentibus, nunquam laticem vitalem detrahere ausus sum.

## PURGANTIA.

Statim post primam venesectionem, medicamentum purgans, quale alveum alimentarium liberaliter evacuet, penitus necessarium est. Hoc morbo plerumque constipationem, atque saepe alvi torporem adeo magnum, ut aegrè acerrimis purgantibus superetur, habente. Commoda ex libera alvi exinanitione maxima sunt ; irritatio ventriculi minuitur, materiâ faeculentâ et corruptâ remotâ, atque derivatio humorum e corpore per intestina, proclivitatem inflammatoriam imminuit. Pur-

gantia optimè ad hunc finem facientia sunt submurias hydrargyri, cum extracto colocynthidis conjunctum, pulvis jalapae aut sales medii. Quodcunque ex his adhibeatur parum intererit; id tamen selegi quod minimum stomacho molestiam movebit. Pulvis jalapae et calomelas bene respondere inveniuntur. Catharsis utique evitanda est, quoniam ventriculi mobilitatem exaugere tendat, humorumque ad cutem impetum diminuat. Alvus mollis nihilominus servanda est, atque duae vel tres sedes in diem abundè erunt ad materiae offendentis collectionem prohibendum. Ubi ventriculi mobilitas vehementer molesta est, haustus effervescentes utiles erunt, necnon vesicatorium stomacho superimpositum.

## DIAPHORETICA.

Balneum calidum vel tepidum aegro gratissimum est, atque si post sanguinem mis-

sum adhibitum, somnum inducere tendit. Temperies non 96° F. gradum excedere debet, sed cubantis ipsius sensu melius regitur. Balneum calidum aut tepidum affusioni frigidae antefero, propter periculum sanguinis in his partibus ad quas jam nimia existit determinatio, accumulandi. Balneum calidum aut tepidum, atque spongiae ex aqua tepida pertractationem utilissimam in calore febris mitigando, motum sanguinis aequabilem faciendo, sitim restringuendo, inveni,—caput ab initio radi oportet, tam ut applicationes commodius imponantur, tam ut ipsum frigidum servetur.

Tartras antimonii quandoque usurpatus est, et ab illustri Johanni Pringle, equite, quasi usui futurus esse laudatur. Nimis autem acris est illius metalli forma, atque ubi tantum irritationis ventriculi subest summa cautione propinari, vel potius mitioribus formis postponi debet. Frigidus limonum succus cum saccharo, vel fructus recentis subacidi aegro permittantur. Largiores tamen liquidorum haus-

tus evitandi sunt, utpote quae ventriculi irritationem nauseamque augere tendant. Sub hac curatione, diathesis inflammatoria subigetur, atque signa faustiora, qualia sunt remissio perfecta vel intermissio verisimile est, occurrent. Ut febris accessionum recursus prohibeatur, cinchona et cardiaca vulgo adhibita fuerunt.

## CINCHONA ET CARDIACA.

Cautione maxima in cinchona ritè exhibenda opus est: nam etiamsi actionis febrilis diminutio sit, si calor, si pulmonis affectio perstet, non exhibenda est, donec haec signa amota fuerint. Diaphoresis promovenda est, alvus leniter laxanda, victu interim levi nutriente; atque hoc modo morbus plerumque sine cinchonae usu decedit. Contrà tamen, si morbus in pejus verteret, viresque cum pulsu sidere inciperet; cinchona tentari potest, cum vino, aromaticis, volatilibus. Si

tamen aegrimonia quaedam, aut dolor ventris accedat, cinchona omittatur atque vesicatorium vel fomenta, vel balneum calidum cum enematis laxantibus adhiberi oportet. Quum cutis sensum tactumque naturalem recuperat, cum perspiratio libera est atque fluida, cinchona iterum tentetur; quae si cum nutrimento aliquo retineatur ventriculo, optimus eventus speretur.

## VOMITORIA

Haec ni fallor, ab omnibus medicis rejiciuntur, tam ob magnam ventriculi mobilitatem quae adest, quam ob auctum sanguinis impetum versus caput vomitu effectum. Doctissimus Jackson, in libro de morbis febrilibus, docet quoque vomitoria manifestè nocere, ubi actio arteriosa vehemens est, pulsus durus et tensus. Tantum equidem molestiae ex nausea ventriculique mobilitate vidi, ut ad hunc moderandum consilia mea semper directa

sunt; atque ut mihi apparet, quaevis nova irritatio adjecta huic organo, miserias ejus aggravet, nec rarò funestum eventum inferet.

## HYDRARGYRUM.

Hoc plurimis quidem annis in India occidentali, ad febrem remittentem remedium habitum est: quam verè tamen hac laude dignum sit, magnopere ambiguum videtur. Quando actio arteriarum violenta, cum multo calore cuteque arida adest, hydrargyrum, utcumque exhibitum hoc statu, salivationem inducere nequit. Eadem tamen actione jam per morbi longinquitatem aut venesectionem infractâ, tum hydrargyri in corpus ingesti efficacia super glandes salivâ se manifestabit. An vero sanatio quae post salivationem, huic remedio, aut potius morbi cuidam ad melius mutationi jure tribuenda sit, incertum. Venaesectio quidem matura et libera adeo certè utilis est, ut paucos tempus terere alia nova

curatione, in morbo cujus progressus rapidus promptissimam curationem requirit. Nunquam ipse ut solum remedium adhibui, nec unquam experimento in febribus maris Mediterranei subjectum audivi. Duae praecipuè res ejus usui obstant: 1*mo*. Longinquitas temporis quam ad corpus imbuendum postulat; 2*do*. Difficultas, imo impossibilitas in tali excitationis statu qualis initio morbi fit, etiam corporis imbuendi. Denique ut auxilium advocari potest, vix tamen quasi per se curationi aequale. Periculosa quaedam vixque non perniciosa usum ejus stipantur veluti salivationes profusae vitae discrimen inferentes, ulcera in ore atque in lingua. Ut purgans submurias hydrargyri attentionem nostram optime jure meretur.

## CADAVERIS INCISIO.

Dum per capillorum cutem incidis, sanguis fere ubere effluit, atque cranio amoto, vasa

durae matris sanguine turgida reperiuntur. Dura matre quoque sublatâ, copia lymphae coagulabilis in tunicam arachnoideam visa fuit, per cerebri summas convolutiones dispersa tractum vasorum majorum accuratè tegens. Fluidum serosum plerumque inter membranas inventum est, atque in ventriculis satis copiosum. Pulmones aliquando sani fuerunt, aliàs sanguine aterrimo grumoso onusti, per partes quasdam, nunquam universè. Ventriculus atque duodenum plerumque notas inflammationis ostendere reperiuntur. Quando membrana mucosa ventriculum internum obtegens removetur, maculae in variis partibus conspiciuntur ab inflammatione oriundae, atque haec species aliquando extenditur longè in duodenum. Hepar non semper morbi notas prae se fert ; sed aliquando ampliatur ; in aliis exemplis solito minus duriusque cultello renitens invenitur. Lien saepius morbo affectus esse apparet : nam nonnunquam supra modum exauctus reperitur, fabrica obliteratâ, sanguinis grumosi

coagulum referens, atque tactui levissimo destruendus. Aliàs vehementer induratus atque auctus est, raro in statu quem dedit natura.

FINIS.

*Excudebat* C. STEWART.